



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

[§. VI. Solvuntur objectiones.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

§. VI.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò : Objectum formale terminativum potentia, debet esse commune omni objecto materiali à tali potentia inspecto: Sed essentia divina, ut virtualiter à relationibus & attributis distincta, non est communis omni objecto materiali, à divino intellectu inspecto, bene tamen ens divinum ut sic: Ergo istud, & non illa, est objectum formale terminativum intellectus divini. Minor probatur, nam attributa & relationes sunt objecta veluti materialia divini intellectus: Sed de illis non pradicatur essentia, quatenus ab illis virtualiter distincta, bene tamen ens divinum: Ergo &c.

122. **C**onfirmatur: Illud est objectum formale terminativum alicujus potentia, cum quo convertitur ratio formalis sub qua specificativa illius: Sed ratio formalis sub qua intellectus divini, non convertitur cum essentia, ut distincta ab attributis, sed cum ente divino transcendentis: Ergo istud est objectum formale terminativum intellectus divini. Minor probatur: nam ratio sub qua intellectus divini, est veritas divina: hæc autem ad ens divinum consequitur, sicut veritas creata sequitur ad ens creatum: Ergo ratio formalis sub qua intellectus divini, non convertitur cum essentia ut distincta ab attributis, sed cum ente divino transcendentis.

123. **R**espondeo distinguendo Majorem: Debet esse commune communitate rationis, nego: Communitate reali, aut virtuali, concedo. Similiter distinguo Minorem: Essentia divina, ut ab attributis & relationibus virtualiter distincta, non est communis omni objecto materiali divini intellectus; communitate rationis, concedo: communitate reali, aut virtuali, nego.

Explicatur: Cum intellectus divinus sit in summo actualitatis & perfectionis intra lineam intellectus, oportet ei assignare perfectissimam objecti communitatem: communitas autem realis, quæ gaudet divina essentia respectu perfectionum divinarum, & virtualis quam habet per ordinem ad creaturas, perfectior est communitate rationis, quæ convenit enti divino: nam commune per rationem, aequaliter ut ens in potentia comparatur ad inferiora, & ut divisibile in illa; & ideo commune per rationem, est proportionatum objectum intellectus creati, non autem intellectus divini. Hanc subtilè & acutam doctrinam tradit & exposuit Ferrariensis i. contra Gent. cap. 14. ad finem, ex qua patet responsio ad confirmationem: concessa enim Majori, neganda est Minor: nam ratio formalis sub qua objectiva intellectus divini, non est veritas communis, communitate rationis omni formalitati divina, sed veritas illis communis, reali & virtuali communitate, ob rationem iam assignatam: hæc autem non cum ente divino ut sic, sed cum divina essentia convertitur.

124. **O**bjicies secundò: Divina attributa pertinent ad objectum formale specificativum, & terminativum divina scientia: Ergo & divini intellectus. Consequentia patet, tum ex paritate rationis, tum quia repugnat, quòd ratio formalis alicujus habitus, magis se extendat quàm ratio formalis potentia. Antecedens verò probatur: cum enim scientia in Deo virtualiter distinguatur à lumine primorum principiorum, habet objectum

Tom. I.

A formale virtualiter ab illa diversum: unde cum lumen primorum principiorum divinam essentiam tanquam objectum formale respiciat, scientia debet circa divina attributa, tanquam circa objectum formale versari.

Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem dicendum est, objectum formale specificativum & terminativum divina scientia, esse essentiam divinam, ut habet rationem causæ respectu creaturarum, & rationis à priori respectu attributorum: eadem verò essentia, ut immediate in se cognoscibilis, seu ut habet rationem primi veri, primique intelligibilis, specificat lumen primorum principiorum, ut in Tractatu de scientia Dei latius exponemus.

B Objicies tertio: Objectum formale terminativum intellectus divini est aliquid supernaturale: Sed Deus ut unus non est supernaturalis, cum ratione naturali cognoscatur à nobis, bene tamen ut trinus; quæ ratione naturalem nostram cognitionem excedit: Ergo Deus, ut trinus, est objectum formale terminativum intellectus divini, & consequenter relationes ab ejus objecto terminativo excludendæ non sunt.

Respondeo negando Minorem: Deus enim non solum ut trinus, sed etiam ut unus, supernaturalis est entitativè, in omnium Theologorum sententia. Nec obstat à nobis ratione naturali cognosci quoad an est, mediatè, & abstractivè: nam hoc solum convincit, Deum ut unum non esse supernaturalem in ratione cognoscibilis abstractivè, & quoad an est; quod libenter fateamur, non autem quod entitativè supernaturalis non sit: aliàs non solum à posteriori, & quoad an est, posset Deus ut unus, à nobis viribus naturæ cognosci, sed etiam quidditativè; imò & posset proit unus, naturaliter intuitivè videri, quod cõmuni Theologorum sententiæ repugnat. Ratio autem cur ut unus sit supernaturalis entitativè, non aatem in ratione cognoscibilis, cognitione mediata & abstractivè: ut Trinus verò utroque modo supernaturalis sit, est quia ut unus cum effectibus naturæ connectitur, secus verò ut trinus, ut docent Theologi in Tractatu de Trinitate.

Objicies ultimò: Attributa & relationes non sunt objectum materiale & secundarium divina intellectiois, sicut creaturæ: Ergo pertinent ad ejus objectum formale & primum. Consequentia manifesta videtur, ex eo quòd inter objectum formale & materiale, primum & secundarium, nullum aliud mediet, ad quod attributa & relationes pertinere possint.

Respondeo attributa & relationes, neque esse objectum primum, neque propriè secundarium intellectus divini; sed veluti modos objecti primarij & specificativi, aut objecta materialia, transcendentaliter & intimè in se includentia ipsum objectum formale & primum: pro cujus intelligentia.

Notandum est ex Ferrariensi i. cont. Gentes cap. 48. objectum alicujus potentia tripliciter posse ad illam comparari. Primò ut sit ratio quæ specificativa illius, & per se primò ab illa inspecta: sicut sonus est objectum per se primum & specificativum auditus: color & lucidum visus. Secundò potest comparari ad illam, ut aliquid merè materiale, quod percipiatur beneficio alterius extrinseci & distincti habentis aliquam connexionem cum ipso: sic creaturæ sunt objecta secundaria & materialia quæ cognoscuntur in essentia divina; sic ens rationis est objectum ma-

K

*Disp. 4.
art. 2.
§. 2.
125.*

eriale intellectus creati, & proximus virtutis charitatis. Tertio potest dari aliquod obiectum, quod non sit ita primarium, sicut per se specificativum, nec ita secundarium, sicut merè materiale, sed medio modo se habens inter hæc: ita ut non quidem per se primò inspiciatur, sicut specificativum, sed ratione alterius, quod tamen non sit distinctum & extrinsecum, sed intrinsecè in eo imbibitum, & inclusum. Sic sonus ut acutus, non percipitur per se primò ab auditu, sed quodammodo secundario, ut est aliquid identificatum cum sono, qui est ratio per se inspecta ab auditu. Et hoc medio modo se habent relationes & attributa respectu intellectus divinæ: sunt enim intelligibilia per essentiam, ut in ipsis intimè & transcendentaliter imbibitam: quare licet illa non pertineant ad obiectum formale & primarium divinæ intellectus, sunt tamen quidam veluti modi intrinseci obiecti formalis & primarij, qui necessariò debent attingi ab ipsa, ut est comprehensiva & intuitiva.

DISPUTATIO III.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS in communi.

CONSIDERATA naturâ & quidditate Dei, consequens est ut ejus proprietates & affectiones, quæ, *Attributa divina*, à Theologis appellantur, contemplerur, & prius de illis in communi, postea in particulari differamus.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit attributum divinum?

I. **D**ico primò: Attributum rectè definitur, ratio seu forma quædam absoluta, in specie atoma constituta, formaliter & necessariò in Deo existens, quæ ex modo nostro concipiendi, ad essentiam divinam, per modum veluti passionis, & proprietatis ejus, consequitur. Ita communiter docent Theologi, ex Damasceno libro 1. de Fide, cap. 12.

Explicatur hæc definitio. Primò dicitur, quòd attributum debet esse forma quædam absoluta, ut per hoc distinguatur à relationibus divinis, quæ rationem attributi non habent, cum non sint tribus personis communes, sicut debet esse attributum, quod est quædam essentia divinæ proprietatis. Secundò dicitur, quod debet esse in specie atoma constitutum, ut per hoc distinguatur à rationibus inadæquatis attributorum, quæ propriè attributum non sunt. Additur quòd debet in Deo formaliter existere, ut per hoc differat, tum à perfectionibus secundum quid creaturarum, quæ non sunt formaliter, sed tantum eminenter in Deo; tum à quibusdam denominationibus intrinsecis, quibus Deus extrinsecè denominatur creator, gubernator, prouisor, &c. Dicitur etiam, illud esse necessariò in Deo existens, ut per hoc ab actibus liberis distinguatur. Tandem additur, quod debet ad essentiam divinam, per modum proprietatis consequi, quia divina attributa ad constitutum naturæ & quidditatis divinæ non pertinent, ut constat ex præcedenti disputatione, sed eam veluti modificant, & ad aliam lineam trahunt, & tanquam proprietates

A ad eam virtualiter consequuntur.

Dico secundò: Divina attributa esse virtualiter & eminenter plura.

Probatur primò: Nam Sapientiæ 7. Spiritus Divina Sapientiæ dicitur *Unicus & multiplex*: unicus propter summam ejus simplicitatem, multiplex vero ob virtuales distinctionem, & pluralitatem eorum quæ in eo sunt, ut exponit D. Augustinus Epist. 102. *Legitur* (inquit) *Spiritus Sapientiæ multiplex, sed rectè dicitur etiam simplex: multiplex enim, quoniam multa sunt quæ habet, simplex autem quoniam non aliud quàm quod habet, est.* Hæc est etiam ratio cur Hebræi attributa divina vocant *ספירות* *Sephiroth*, teste Rabbi Moyse in commentarijs suis ad cap. 1. libri *Ietsira*: *Abraham* (inquit) *Pater noster vocavit attributa Sephiroth, quæ sunt Saphiros, ad significandum, quemadmodum Saphirus omnes colores recipit: sic Deo omnes formas, benedictiones, emanationesque tribui: ita tamen ut hæc omnia summam Dei benedicti unitatem prædicent.*

Probatur secundò: Quamvis attributa divina non sint actu plures res, nec plures rationes formales; sed una omnino simplex (ut ostendemus articulo sequenti) hæc tamè præstat totum quod præstarent plures, si essent actu distincta; ad eum modum quo virtus Solis, quamvis non sit formaliter calor, præstat omnia quæ præstaret calor ipse, seclusis imperfectionibus: Ergo sicut virtus Solis eminenter calor, vel calorem habere dicitur; ita divina attributa, virtualiter & eminenter plura, & distincta dicuntur.

Confirmatur: Pluralitas & multiplicitas sequitur ad distinctionem: Ergo sicut ad distinctionem realem perfectionum quæ sunt in rebus creatis, sequitur realis earum pluralitas; ita & ad virtuales distinctionem divinorum attributorum sequitur virtualis illorum multiplicitas. Hoc præmissis, breviter hîc exponendæ sunt variae divinorum attributorum partitiones, à Theologis assignari solite.

Attributa igitur quædam sunt positiva, ut esse bonum, iustum, sapientem. Quædam negativa, ut esse incorporeum, infinitum, immutabilem, invisibilem, incomprehensibilem, ineffabilem, &c. Item aliqua sunt absoluta, quæ nullum important respectum ad creaturas, ut esse simplicem, unum, perfectum &c. Quædam respectiva, quæ sine ordine ad creaturas intelligi nequeunt; ut omnipotentia, providentia, iustitia, misericordia &c. Præterea quædam sunt quæ pertinent ad substantiam & esse Dei: ut simplicitas, perfectio, bonitas, infinitas, & alia quæ sequenti disputatione exponemus: quædam verò spectant ad operationem, ut intellectus, voluntas, omnipotentia, scientia, amor, iustitia, & misericordia, de quibus tractatu 3. & 4. differemus.

ARTICVLVS II.

An attributa divina, tam ab essentia Dei, quàm inter se, formaliter ex natura rei distinguantur?

§. I.

Proponitur status difficultatis:

Suppono primò tanquam certum de fide, divina attributa, nec ab essentia, nec inter se